14

BVLLES
DE N. S. PERE LE PAPE GREGOIRE XIIII.

L'VNE
Contre toutes personnes Ecclesiastiques, suyuans le party de Henry de Bourbon, iadis Roy de Nauarre.

L'AVTRE
Aux Princes, Seigneurs, Nobles & autres personnes laïques suyuans le mesme party.

A PARIS,
Chez Robert NIVELLE, ruë S. Iaques, aux Cigognes.
Et Rolin THIERRY, ruë S. Iaques, au Lis blanc.
Imprimeur de la saincte Vnion.
M. D. XCI.
AVEC PRIVILEGE.

Case
F
39
.326

1591c

THE NEWBERRY
LIBRARY

48-1127

15

S^mi. D. N. GREGORII PAPÆ. XIIII.

Litteræ monitionis, declarationis, &c.

CONTRA

Quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas Regni Franciæ, Henricum Borbonium quondam Nauarræ Regem ſequentes, &c.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, cæteríſq; Eccleſiarum ſecularium, & regularium Prælatis, Capitulis, Collegiis, & Cõuentibus, ac perſonis Eccleſiaſticis quibuſcunque, per Regnum Franciæ conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Beatiſſimi Apoſtolorũ Principis Petri cathedræ, ſuper quam Dominus, ac redemptor noſter Ieſus Chriſtus ſuam ædificauit Eccleſiam, eodem Petro, ac illius ſucceſſoribus totius gregis ſui Paſtoribus conſtitutis, diſpoſitione diuina, licet tanto loco & munere indigni, praſidentes, pro*

iniuncta nobis Ecclesiarum omniũ solicitudine, cunctis gentibus ac populis, quam debemus pastoralem vigilantiam & curam, ipso iuuãte Domino, præstare cupimus & conamur. Proinde cum inter grauissima, quibus vndique præmimur, Christianæ Reipublicæ mala, nihil æquè animum nostrum perculserit, anxiúmque & solicitũ reddiderit, ac Regni istius Franciæ præstantissimi Ecclesiæ membri, nobísque & sanctæ Sedi Apostolicæ, ob multa & præclara eius merita, charissimi & coniunctissimi, tam diuturna omnium rerum perturbatio, ingénsque & inueterata calamitas, quæ non solum vrbes, oppida, agros, terrenáque omnia, sed ipsa etiam spiritualia & celestia bona, nempe verum Dei cultum, animarúmque salutem aggressa est, immensámque stragẽ, instigante humani generis hoste, edere parat, nisi maturè & fortiter ab omnibus Regni Ordinibus, concordi animo, & ab iis præsertim, qui Dominici gregis curæ & custodiæ præsunt, resistatur. Quare sicut nos afflictioni vestræ, ac totius Regni, Paterna miseratione compatimur, nullúmque erga vos veræ pietatis officiũ prætermissuri sumus: ita vos probationis vestre tempus debetis agnoscere, & contra impetus oppugnantium, munitionibus cœlestibus freti, incommutabilis animi constãtiã præparare: memores, quo maior ingruit aduersitas, & tribulatio, eò frequentiùs insistendum esse orationibus, ieiuniis, prædicationibus, hortationibus, admonitionibus, aliísque piis, & Deo gratis operi-

bus, quibus ſcilicet, & propitius reddatur Deus, & ij permoti, qui veritati Catholicæ & publicæ paci obſiſtunt; tandem aliquando quieſcant, & ab inſtituti prauitate, diuina opitulãte gratia, deducãtur, impiáſque vias ſuas derelinquant. Quam autem vim habeãt ad placandam Dei iram, pura & immaculata ſacerdotum vita, aſſiduéque ac deuotè ad Deum fuſæ preces, multis in locis ſacra teſtantur eloquia. Hæc ſanè prima ſunt, & validiora fidelium Dei ſeruorum arma, quibus tamen poſtea, cum opus ſit, iungenda ſunt alia auctoritatis, & diuinitùs traditæ poteſtatis. Sed dolendum eſt, & quidem grauiter dolendũ, nonnullos veſtri ordinis, adeo ſui ipſorum officij oblitos, vt eiſdem Eccleſiæ Catholicæ aduerſariis, pacíſque turbatoribus, ne verbis quidem reſiſtere auſi ſint, tãquam canes muti nõ valentes latrare: quinimo, vt fama eſt, turpiter, & magno cum bonorum omnium dolore, & Eccleſiaſtici ordinis dedecore, eis ſe cõmites & adiutores præbuerint: quaſi de Henrico Borbonio quondam Nauarræ Rege, quæ cunctis notiſſima ſunt, & manifeſta ipſi ignorare poſſent, vel deberent. Qui quidem Hẽricus, à primis annis, matris operâ hæreſibus infectus, in eis diu perſeuerauit, & cũ iam adulta eſſet ætate, malúmque à bono; hæreticorum mendacia à fidei Catholicæ veritate, ſecerneret: Pariſius, publicè in Eccleſia, vbi Rex ac Regni Principes, ac Proceres frequentes aderant; poſt nõnullas diſputationes inter Catholicos ſacræ Theologiæ Doctores, & hæreticorũ

miniſtros, ipſo inſtante, atque præſente habitas, fidem Catholicam amplexus, atque profeſſus fuit: hæreſibus quibus antea imbutus fuerat deteſtatis, & abiuratis, ac verum ſe, & ſyncerum Catholicæ fidei cultorem deinceps omni tempore futurũ pollicitus eſt: & poſtmodum litteras ad ſanctæ memoriæ Gregorium Papã XIII. prædeceſſorem noſtrum ſcripſit, quibus eum ſupremũ Eccleſiæ Catholicæ caput agnoſcens, ſupplex deprecabatur, vt conuerſionis & obedientiæ ſuæ cõfeſſionem acceptam habere, præteritorúmque criminũ veniam ei concedere dignaretur: quod & obtinuit, firmiter etiam promittens, ſe fidem Catholicam perpetuò integrè, & inuiolatè ſeruaturũ. Et deinde Oratore Romam miſſo, qui ſuo nomine obedietiam eidem Gregorio prædeceſſori præſtaret, atque de pœnitẽtia, cõuerſione, fide, & cõſtantia ſua, in Sedis Apoſtolicæ conſpectu ſponderet, prout in publico Cõſiſtorio, aſſiſtentibus eidem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon præſentibus plurimis Prælatis, & Romanæ Curiæ Officialibus, aliiſq; innumeris perſonis, per eũdem Oratorem præſtitit, atque ſpopondit: quin etiã publico propoſito Edicto, in ſuæ ditionis Prouinciis, ac terris, fidem Catholicam reſtitui, eámque ſolam ab omnibus ſuis ſubditis ſeruari mandauit, falſámque Religionẽ, ſeu hæreſes in eis prædicari, vel teneri prohibuit: atque ita per aliquod tẽpus, vt Catholicus haberetur, exteriore cultu præ ſe tulit. Et nihilominus, eum idem poſtea violato iureiurando, & fracto pro-

missionis, quo se obstrinxerat, vinculo, repẽte Catholicæ religionis hostem acerrimũ, hæreticorúmq; Caput ac Principem se declarasset, atque in Ciuitates & oppida recèns ab eo capta, hæreticos Prædicãtes introduci iussisset, atque omni conatu, ad ipsas hæreses confirmãdas, & propagandas incubuisset, atque ita se, vt fidei desertorem, promissionis fractorem, & iurisiurandi violatorem, Regno Franciæ indignum, & incapacẽ reddidisset: iure ac meritò, fœlicis recordationis Sixtus Papa V. etiam prædecessor noster, eundem Henricum quõdam Nauarræ Regem, vti hæreticum, in hæreses relapsum, & impœnitentem, adeò manifestum, publicum & notorium, vt nulla posset se tergiuersatione, aut excusatione defendere, damnabiliter incurrisse in censuras & pœnas à sacris Canonibus, aliisq; Apostolicis Cõstitutionibus, & legibus statutas: atque prætẽso Nauarræ Regno, vel illius parte, ac Bearni, & quocumque alio Principatu, Dominiis, locis, feudis, ac bonis, & successionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & Officiis etiã Regiis, & iurisdictionibus, & iuribus, quæ de facto obtinebat, aut ad quæ ius quomodolibet habebat, seu prætẽdebat, ipso iure priuatum, ac indignum, inhabilem & incapacem ad illa, & alia in posterum obtinenda, seu retinenda, & ad succedẽdum in quibuscumq; Principatibus, Dominiis, & Regnis, ac specialiter in Regno Franciæ, per suã sententiã, de eorũdem sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium consilio, pronunciauit, & de-

clarauit, prout in litteris eiusdem Sixti prædecessoris, Anno incarnationis Dominice, milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto Id. Septemb. Pōtificatus ſui Anno primo, deſuper editis, pleniùs cōtinetur. Nemo igitur veſtrū, qui tā grauiter deliquit, eorū quæ ſuperius dicta ſunt, ignoratione, vel cuiuſuis alteri° cauſâ aut rationis, vel excuſationis obtētu tueri ſe, aut defendere poteſt. Quis enim neſciat, quæ Deo & ſanctæ Eccl. Cath. propriè debentur & ſpōdentur, ea vel ſanguini, vel amicitiæ, vel gratiæ, vel precibus quorūuis hominum, aut cuicumque alteri reſpectui & affectui humano, dari non poſſe? Etenim ſi hæc confundātur, vbi veſtra erit Religio, fides, pietas, cōmiſſarum ouiū cura, & debita Sedi Apoſtolicæ obediētia? Meminiſſe vos oportet eorum, quæ Dominus per Ezechielem cōminatus eſt malis paſtoribus. Aeternus enim Paſtor, & Iudex, quæ vobis commiſit, irrequiſita non relinquet: cui tanto diſtrictiùs rationē reddituri eſtis, quātò digniora, & potiora ſunt quæ accepiſtis. Cui enim plus creditum, ab eo plus exigendum. Et ſi neglectus error ouium culpa Paſtorū eſt, quid ergo fiat illis Paſtoribus, qui errantes ipſi, & delinquētes, alios ſecum in eoſdem errores, & delicta pertraxerunt, vel erroris cauſam dederunt? Cæterum ſi paulò altiùs præſentium erumnarum radicem quærere velimus, vtique inueniemus, non multo ante tempore, Franciæ Reges dum variis bellis impliciti, dominandi cauſâ, fœdera cum infidelibus, & amicitiam cum hæreticis contra-

xerunt

xerũt, eorúmque auxilia acciuerunt, hac potißimum de cauſa (quamquã aliæ non defuerint) Dei iram in ſe poſteroſq; ſuos, & ſubiectos populos prouocaſſe; inde inuectas in Regnũ hæreſes, inde diſſidia, inde Ciuiles diſcordiæ, inde atrox, & inteſtinum hoc bellum excitatum, & ad hæc vſque tempora productum. A capite igitur omne malum: cuius nec finis apparet, nec ſperandus, aut expectandus eſt, niſi cum Dominus bonum & pium vobis dederit Regem, nomine & actione verè Chriſtianiſſimum. Quamobrem vnuſquiſque veſtrum cogitet, qua ratione pro virili ſua, ſanctæ Religionis Catholicæ defenſioni, Eccleſiarum conſeruationi, ac totius Regni paci & quieti prodeſſe poſſit, ad idque animum, ac vires, & facultates omnes ſuas intendat, minimè dubitãs, quin miſericors & miſerator Dominus præſentibus miſeriis, & aduerſitatibus finem cito ſit impoſiturus: iuxta illud, Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum. Nos certè quæcunque poterimus, non ſolum ſpiritualia, & temporalia, ſed etiam militaria auxilia periclitanti Religioni Catholicæ ac Regno ſubminiſtrare non omittemus. Atque vtinam poſſemus ad vos iter facere, & præſentes fraternæ charitatis opus inceſſanter exhibere, nullis laboribus, nullis periculis, nec etiam ſanguinis, & vitæ noſtræ effuſioni parcẽtes. Sed cum, id nec per ætatem, nec per valetudinẽ, nec etiam per eas, quas hîc ſuſtinemus, moleſtias & difficultates, id agere nobis liceat: ſaltem dabimus

omnem operam, ne quid à vobis, tali vestro tempore, iustè desideretur, quod à nobis & hac sancta Sede proficisci possit. At verò præcepti illius Dominici memores, quo iubemur in persona Beati Petri, fratres nostros confirmare, illos quidem, qui in officio, & vocatione sua firmiter permanserunt, & quibus potuerunt modis, Dei & sanctæ Religionis Catholicæ causam iuuarunt, populósque sibi creditos in fide, & officio retinuerũt, hoc nomine laudamus, diligimus, charósque habemus, ac omni honore & præmio dignos iudicamus, hortamúrque etiam, vt vsque ad finem constanter in eo perseuerent, nec laboribus, vel periculis, aut minis etiam mortis deterreantur: cùm sciant bonum pastorem animã ponere debere pro ouibus suis, sed in dies magis merita apud Deum sua augere studeãt, atque ita optatam illam vocem audire mereantur: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Alios verò (quod dolenter referimus) qui à via recta declinarũt, ne ipsi officio nostro desimus, & ne cum malè agentibus, propter silentium condemnemur, corrigi & emẽdari cupientes, vniuersos & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbatos, & Prælatos, necnon Capitula, Collegia, & Conuentus, atque alias quascumque Eccleſiasticas personas cuiusuis Ordinis, status, gradus, prærogatiuæ, præeminentiæ, & dignitatis existãt, memoratum Henricum quondam Nauarræ Regem sequentes, vel comitãtes,

aut quoquomodo ei, vel Principibus, aut Proceribus illi fauentibus, vel adhærentibus fauentes, vel adhærentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, in Domino requirimus, & monemus, ipsísque in virtute sanctæ obediẽtiæ districtè præcipiendo mãdamus, quatenus sub suspẽsionis à diuinis, à regimine Ecclesiarum, ac ab illarum ingressu, & fructuum perceptione earundem Ecclesiarum & beneficiorum suorũ quorumcumque, quoad Episcopos, & Superiores: quo verò ad alios inferiores, sub excommunicationis maioris, itémque amissionis omnium fructuum similiter Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, secularium, vel regularium cuiuscuis ordinis, & cõgregationis, quæ quomodolibet obtinent in titulum, vel commendam: ac quoad Capitula, Collegia, & Cõuentus, Interdicti etiã Ecclesiastici, aliísque Ecclesiasticis censuris, & arbitrio nostro infligendis & irrogandis pœnis, illicò, omni & quacumque postposita mora, exceptione, aut excusatione, ac saltem intra terminum Quindecim dierum immediatè sequentium post diem publicationis præsentium litterarum, modo & forma infrascriptis faciẽdæ, quorum quinque pro prima, quinque pro secunda, & reliquos quinque dies pro tertia canonica monitione, ac tertio, & vltimo peremptorio termino ipsis præfigimus & assignamus, ab eodem Henrico ac ab eius sequacibus, fautoribus, & defensoribus, illíq; adhærentibus Principibus, & Proceribus, atque aliis

„ qui apud eum sunt, omnino recedant, illúmq; & illos
„ prorsus deserant & derelinquant : neque vllam cum
„ eis societatem, fœdus, ligam, aut consuetudinẽ habeãt,
„ ineant, foueant, aut retineant, vel opem, præsidium,
„ auxilium, consilium, vel fauorem eis directè, vel in-
„ directè, per se, vel alium seu alios, quouis quæsito co-
„ lore, vel prætextu, aut aliâs quomodolibet præstent,
„ aut impendant. Quod si qui eorum, reipsa ac omni do-
„ lo & fraude cessante, nõ fecerint, nec fideliter adim-
„ pleuerint, eos in Cẽsuras & pœnas prædictas incidis-
„ se, & insuper si (quod absit) intra alios Quindecim dies
„ proximè sequentes non paruerint, sed animo perman-
„ serint obdurato, dictarum Ecclesiarum etiam Cathe-
„ dralium, etiam Metropolitanarum, & Monasteriorũ
„ quibus præsunt, ac quarumuis dignitatum, canonica-
„ tuum, & præbendarum, Prioratuum, & Præposítu-
„ rarum Rectoriarum, & beneficiorum Ecclesiastico-
„ rũ quorumcumque, cum cura & sine cura, quocumq;
„ titulo, honore, & nomine censeãtur aut appellentur,
„ priuationis pœnam, ipso facto incurrisse, tenore præ-
„ sentium, de potestatis Apostolicæ plenitudine decer-
„ nimus & declaramus. Cæterum à suspensionis, excõ-
municationis maioris, interdicti Ecclesiastici & aliis
censuris & pœnis prædictis, quicumque in eas incur-
rerint, nullo modo absolui, aut liberari possint, neque
etiã in foro conscientiæ, à quoquã sæculari, vel cuius-
uis Ordinis regulari præsbytero, vel Prælato, quauis
auctoritate, & dignitate fungente, nisi à nobis, vel à

Romano Pontifice pro tempore existente, & præterquam in mortis articulo, & tunc non nisi præstita cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, & congruè satisfaciendo, etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorum, etiam occasione Iubilei Plenarij, vel Cruciatæ sanctæ, seu Confessionalium, quibuscũque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate prælitis, ipsísque Ordinibus, ac eorum Monasteriis, Cõuentibus, Domibus, & Capitulis, Collegiis, Cõfraternitatibus, Congregationibus, hospitalibus, & locis piis ac cæteris personis supradictis, per nos & dictam Sedem, & cuiusuis Concilij, etiam generalis decreta verbo, litteris, aut quacumque scriptura, in genere vel in specie concessorum, & innouatorum: etiamsi in eis casus, in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis, expressi comprehendantur, nisi de præsentibus nostris Litteris specifica & expressa, non autem per clausulã, Quorũ tenores, & alias quascumq; clausulas generales idem importãtes, mentio fiat. Vt autem præsentes nostræ litteræ ad ipsorũ Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Prælatorum, necnon Capitulorũ, Collegiorum, & Conuentuum, atque aliarum supradictarum personarum notitiam faciliùs perueniant, seu peruenire possint, easdẽ nostras Litteras, tam in alma vrbe nostra, in Lateranensis, & Principis Apostolorum Basilicarũ & Cancellariæ Apostolicæ val-

uis, ac in acie Campifloræ per aliquem ex Curſoribus noſtris, quàm etiam in partibus Regni Frãciæ, in valvis ſex infraſcriptarũ, videlicet Lugdunẽſis, Rothomagenſis, Pariſienſis, Aurelianenſis, Toloſanæ, & Aquenſis, vel ſaltem quatuor ex eis, vel aliarum in eodẽ Regno Frãciæ cõſiſtentiũ Cathedraliũ, vel Metropolitanarum Eccleſiarum, more ſolito legi, & publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatiũ affixas dimitti, eíſque poſtmodum inde detractis, earũ exempla in eiſdem locis pariter affixa relinqui, mandamus. Decernentes, vt earundem litterarum publicatio ſic facta, ſupradictos omnes, & eorum quemlibet perinde arctet, obliget, & afficiat, ac ſi litteræ ipſæ eis vel eorũ ſingulis lectæ & perſonaliter intimatæ, atque inſinuatæ fuiſſent: cùm non ſit veriſimile ea, quæ tam patenter & publicè facta fuerint, ipſos poſſe quomodolibet ignorare. Quia verò difficile eſſet præſentes litteras ad ſingula loca, ad quæ oporteret, deferri: volumus vt earum tranſumptis, etiam impreſsis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, obſignatis, eadẽ prorſus fides habeatur in iudicio, & extra illud, vbiq; gentium & locorum, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ requiſitionis, monitionis, præfixionis, aſsignationis, declarationis, mandatorum, decretorum, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem

hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. DATVM *Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, nonagesimo. Kal. Martij, Pontificatus nostri Anno primo.*

Signat. *L. Dat.*

M. Vestrius Barbianus.

Super plicam. *A. de Alexiis.*

Et à tergo. *Registrata apud Marcellum Secretarium.* Firmata bulla plumbea sub cordula canapis.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Notum sit Vniuersis & singulis, quos retroscriptæ Litteræ quomodolibet concernunt, tangunt, aut tangere possunt: seu quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet infuturum: Quod Anno à natiuitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi, millesimo, quingẽtesimo, nonagesimo primo, Indictione quarta, mensis vero Iunij die tertia, Pontificatus Sanctiss. in Christo patris, & Domini nostri, Domini Gregorij, diuina prouidentia, Papæ decimiquarti anno primo. Nos, Ioannes Doulceur, Adrianus Thinot, & Stephanus Cordonnier, Clerici Parisienses & Suessionensis respectiuè diocesẽn, publici auctoritate Apostolica, curiæque Episcopalis Parisiensis Notarij iurati, & in Registris Episcopatus & Præfecturæ Parisiensis, iuxta Regium Edictum, descripti & immatriculati, Parisiis in Claustro Ecclesiæ Parisiensis, & vico Nucum commorantes: pro Bullæ, seu originalium Litterarum Apostolicarum requisitionis, mo-

aitionis, mandatorum, præfixionis, assignationis, decretorum, declarationis, & voluntatis, sub plumbo pendente, contra personas Ecclesiasticas Regni Franciæ, Henricū Borbonium quōdam Nauarræ Regem sequentes, De data Romæ, apud sanctū Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, nonagesimo, Kal. Martij, Pontificatus eiusdem Anno primo, executione facienda: vna cum testibus infrascriptis, personaliter accessimus ad Cathedralem Ecclesiam ciuitatis Parisiensis, in qua tunc Clerus & populus, ad diuina officia celebrāda & audienda, cōuenerant: Et post preces, in ea per nos, Deo effusas, constitimus in pulpito eiusdem Ecclesiæ, & ibi in magna cleri & populi prædictorum frequentia, stantes prædictam Bullam, seu Litteras originales requisitionis, monitionis, mandatorum, præfixionis, assignationis, decretorum, declarationis & voluntatis huiusmodi, & alias vt se habent ad litterā, & de verbo ad verbum, clara, alta & intelligibili voce, organo præfati Doulceur alterius Notariorum supranominatorum, legimus, exposuimus, euulgauimus, & publicauimus. Ac deinde eandem Bullam, seu Litteras originales, in valuis eiusdem Ecclesiæ Cathedralis, affiximus: & in eis illas, per aliquod temporis spatium, affixas, omnibus & singulis volentibus videndas, inspiciendas & legendas dimisimus, ipsasque omnibus & singulis Reuerendiss. Dominis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Ecclesiarum Prælatis etiam, necnon Capitulis, Collegiis, & Conuentibus, aliisque omnibus Ecclesiasticis personis, per Regnum Franciæ cōstitutis, in eisdem litteris generaliter, aut aliās quomodolibet nominatis, seu expressis, iuxta earundē litterarum formam, seriem, & tenorem, & omni alio meliori modo & forma, quibus fieri potuit & debuit, ac fieri potest & debet, etiam veluti per publicum Edictum, insinuauimus, notificauimus, & publicauimus. Et tandem post competens temporis spatium, seu interuallum, has easdem originales litteras exinde refiximus, & detraximus, ac ad nos recepimus, & earū exemplum fideliter transcriptum, quod cum ipsis originalibus Litteris, per nos fideliter auscultatum & collationatum, in omnibus & per omnia concordat, in eisdem valuis prædictæ Cathedralis Ecclesiæ affiximus, & affixum reliquimus: vt illæ ad dictorum Dominorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Prælatorum etiam, necnon Capitulorum, Collegiorum, & Conuentuum, aliarúmque Ecclesiasticarum personarum, per

dictum

22

dictum Regnum Franciæ constitutorum, in eisdem Litteris specialiter, vel generaliter nominatorum, seu expressorum notitiam & scientiam perueniant, seu peruenire possint, ac aliàs fecimus & executi sumus, prout in eisdem Litteris continetur, & fieri mandatur. Acta sunt hæc in Ciuitate Parisiensi, & Cathedrali Ecclesia prædicta, & ante eius fores, & in loco suprascripto: Sub Anno, Indictione, die, mense, & Pōtificatu, quibus supra. Præsentibus ibidem honorabilibus viris, magistris Oliuario Minagier, Francisco le Maçon, in supremo Senatu Parisiensi Patronis, & Claudio le Bossu Coronæ Franciæ Secretario. Necnon præsentibus etiam Nobilibus & egregiis viris, Francisco de Verton, Comite de Belin, Gubernatore præfatæ vrbis Parisiensis: Carolo Boucher, Præfecto eiusdē vrbis: Martino l'Anglois, Scabino: Stephano de Nully, Curiæ subsidiorū Senatus Parisiensis Præside: Dionysio de Here; & Michaële de Marillac, in dicto Senatu Parisiensi Conciliariis: Matthia de la Bruyere Locumtenente Ciuili Parisiensi: Ioanne Luillier Camerae Computorum Parisiensis Magistro: Claudio Daubray vrbis Parisiensis Consiliario: Philippo Cothereau, Ioanne Iosset, & aliis quam plurimis personis etiam ibidem congregatis & adunatis, in numero copioso.

Et quia nos prædicti publici auctoritate Apostolica Notarij prædictas Litteras vt supra publicauimus, & alia prædicta intimauimus, notificauimus, executi sumus & scripsimus: ideo in eorum fidem, & testimonium præmissorum, hoc præsens publicationis, notificationis & executionis earundem Litterarum instrumentum, exinde confecimus, subscripsimus, & publicauimus, atque in eo solita signa nostra, quo in talibus vtimur, apposuimus requisiti.

DOVLCEVR. THENOT. CORDONNIER.

Smi. D. N. GREGORII PAPÆ. XIIII.

Litteræ hortationis, monitionis, &c.

AD

Principes, Nobiles, aliásque personas laïcas Regni Franciæ, Henricum Borbonium quondam Nauarræ Regem sequentes, &c.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei. Vniuersis & singulis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus aliísque Regni Frãciæ Proceribus, ac Nobilibus, Henrici Borbonij quondam Nauarræ Regis partes sequentibus, vel apud eum commorantibus, necnon Prouinciarum, Ciuitatum, oppidorum & locorum, sub eiusdem Henrici dominatu existentium Communitatibus & Vniuersitatibus ac populis, Ciuibúsque, & incolis quibuscũque, Salutẽ, & Spiritum sanioris consilij. Postquam diuinæ placitum est bonitati, quæ vocat ea quæ non sunt, tanquã ea quæ sunt, humilitatem nostrã ad munus Apostolicum, omnium maximũ & grauissimum, & ipsis Angelicis hume-*

ris formidandũ, vocare: animo reuoluentes ingentia, quibus populus Christianus affligitur mala, variásque eiusdem erumnas & calamitates, & in primis Regnum Franciæ olim præstãtissimum Ecclesiæ columen, & Catholicæ fidei firmissimum præsidium ac propugnaculum, exortis in eo iamdiu de Religione ac de Regno dissidijs, in partes distractum, intestino & crudeli bello ardere, & miserandum in modum conflictari, scissum est cor nostrum doloris amaritudine, nec potuimus nostram, & afflicti populi vicem vehementer non lugere. Sed in eo firmam habentes fiduciam, qui sperantes in se nunquam deserit, atque cum Ecclesia sua, & cum fidelibus seruis suis, vsque ad cõsummationem sæculi, se futurũ esse pollicitus est, nec permissurum, vt portæ inferi prævaleãt aduersus eã, animũ ereximus, statímque cogitatus, laboréque nostros ad id cõuertimus, vt Regno & Nationi isti tantopere de Ecclesia Romana benemeritæ, & nunc grauissimè laboranti, quàm celerrimè opera, studio, vigilantia, curáque Pastorali, & ipsa si necesse sit sanguinis, & vitæ nostræ effusione opportunam, ac necessariam opem feramus. Nouit Deus scrutator cordiũ, nos nec nostris, nec alterius cuiusquã cupiditatibus, vel affectibus humanis duci, non nostra quærere, sed quæ sunt Iesu Christi, nihílq; ante oculos habere, nisi Dei gloriam, animarum salutem, publicam quietem, & tranquillitatem, ac Regni istius nobilissimi conseruationem. Speramus equidem eundem Deum, qui bona-

rum consueuit esse adiutor mentium, sicut etiam largitor est, pro immensa misericordia sua, pijs nostris conatibus propitium fore, optatúmque incrementum daturum. Sed vestra tamen in hoc pietate, vestra opera & obsequio indigemus, quia vos sine vobis saluos facere non possumus. Alios omnes, qui in armis sunt & vobis aduersantur, in potestate nostra fore nõ dubitamus, si vos idem facere in vestrũ animũ induxeritis, omnia erunt facilia, & breui tẽpore Religio, pax ac istius Regni, Nationísq; gloria, pristinum in locum restituentur. Oportet sanè eos, qui generis nobilitate præfulgent, Christiana in primis pietate, ac fidei Catholicæ cultu & obseruantia præcellere, sine quibus nulla potest esse vera nobilitas, dicente Domino: Quicũque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnũt me, erũt ignobiles. Reges vestri, summum Regiæ dignitatis fastigium assequuti, & si nihil amplius eis addi posse videbatur, pro suis tamen erga Dei Ecclesiam, sanctámque fidem Catholicam, maximis meritis & beneficijs, pulcherrimo Christianissimi cognomine, ab eadem Ecclesia decorati, id ornamentum non minus cupidè quam deuotè susceperunt, ac longè pluris, quàm Regiam ipsam dignitatem æstimarunt. Quando igitur Reges optimi, ac prudentissimi, nihil habuerũt antiquius, quàm vt ad proprium profectũ, ac aliorũ exemplum, & ædificationem ipsorum, erga sanctam Ecclesiam Catholicam, quàm maximè eluceret pietas atque deuotio: quãtò magis decet vos, om-

nes, & eos præsertim, qui nobilitate præstãt, tantorum Principum vestigia sequi, & sanctæ Matris Ecclesiæ dicto audientes esse, ac monitis, consiliisque, salutaribus obtemperare? Igitur vt opportuna aliqua ratio à nobis, Deo iuuante iniri possit (id quod dies noctésque cogitamus) quâ tot impendentibus malis occurratur, & talem habeatis Regem, qui dignus sit vobis præesse, & dominari, ac verè pius sit, & re, & nomine Christianissimus: vos his nostris litteris, quas, vt ad omnium notitiam celeriùs perferantur, nec quisquã earum ignorationem prætendere possit, volumus in Parisiensi, Aurelianensi, Lugdunensi, Aquensi, & Tolosana, vel aliarum Ciuitatum Ecclesiis Cathedralibus, more solito, dum ibi diuina celebrabuntur officia, publicari, earúmque exempla, valuis earundem Ecclesiarum affixa relinqui: & post mensem, à die publicationis huiusmodi numerandum, ita eos omnes, ad quos pertinent, afficere & obligare; ac si eis singulis lectæ, & intimatæ fuissent, hortamur, & per viscera misericordiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi, omni efficaciori, quo possumus modo, ac etiam sub interminatione Diuini iudicij, rogamus, obsecramus, obtestamur, ac monemus, ne diutiùs Henrico Borbonio quondam Nauarræ Regi, adhæreatis, vel quoquomodo faueatis. Ipse enim, à teneris annis, pessima hæreticæ matris educatione, corruptus, cùm iam esset adultus, & in ea ætate, qua bonum à malo, hæreticorũ mendacia à Religionis Catholicæ veritate, secernere

poterat: Parisiis, publicè, in Ecclesia, vbi Rex, & Regni Principes, ac Proceres, frequentes aderant: post nonnullas disputationes, inter Catholicos sacræ Theologiæ Doctores, & hæreticorum Ministros, ipso instante atque præsente, factas; fidem Catholicam amplexus & professus est, hæresibus, quibus antea imbutus fuerat, detestatis & abiuratis: & præterea syncerum se, ac verum Catholicæ fidei cultorem deinceps omni tempore, futurum pollicitus est: scriptis etiam litteris, ad Sanctæ memoriæ Gregorium Papã XIII. prædecessorem nostrum, quibus eum supremum Catholicæ Ecclesiæ caput agnoscebat, & supplex deprecabatur, vt cõuersionis, & obedientiæ suæ confessionem acceptam habere, & præteritorum criminũ veniam concedere dignaretur: quod & obtinuit, firmiter promittẽs, se fidem Catholicam perpetuò, integrè, ac inuiolatè seruaturũ. Et deinde etiam Oratore Romam misso, qui, suo nomine, obedientiam eidem Gregorio prædecessori præstaret, atque de pœnitentia, cõuersione, fide & constantia sua, in Sedis Apostolicæ conspectu, sponderet: prout in publico Consistorio, assistentibus eidem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon præsentibus compluribus Prælatis, & Romanæ Curiæ Officialibus, aliisque innumeris personis, per eundem Oratorem, præstitit & spopondit: ac publico proposito Edicto, in suæ ditionis Prouinciis & terris, fidem Catholicam restitui, eámque solam, ab omnibus suis subditis seruari mandauit, fal-

25

ſámque Religionem, ſeu hæreſes, in eis prædicari, aut teneri prohibuit. Atque ita per aliquod tempus, vt Catholicus haberetur, exteriore cultu, præ ſe tulit. Attamen cùm poſtea, violato iureiurando, & fracto promiſſionis, quo ſe obſtrinxerat, vinculo, repentè Catholicæ Religionis hoſtem acerrimum, hæreticorúmq; Caput ac Principem ſe declaraſſet, atque in Ciuitates & oppida, tunc temporis ab eo capta, hæreticos Prædicantes introduci iuſſiſſet, atque, omni conatu, ad ipſas hæreſes confirmandas, & propagãdas incubuiſſet: iure ac meritò, fœlicis recordationis Sixtus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, eũdem Henricum fuiſſe & eſſe hæreticum, in hæreſes relapſum, & impœnitentem, hæreticorum quoque Ducem, fautorem, & defenſorem manifeſtum, publicum, & notorium; adeò vt nulla poſſet ſe tergiuerſatione, aut excuſatione defendere; ac proinde dãnabiliter incurriſſe in cenſuras & pœnas à ſacris Canonibus, aliíſque Apoſtolicis Conſtitutionibus & legibus ſtatutas, atque prætenſo Nauarræ Regno, vel illius parte, ac Bearni, & quocumque alio Principatu, Dominiis, locis, feudis, ac bonis & ſucceſſionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officiis, etiam Regiis, ac iuriſdictionibus, etiam iuribus, quæ de facto obtinebat, aut ad quæ, ius quomodolibet habebat, ſeu prætendebat, ipſo iure priuatum, ac indignum, inhabilem, & incapacem, ad illa, & alia huiuſmodi in poſterum obtinenda, ſeu retinenda; & ad ſuccedendum in quibuſ-

eumque Principatibus, Dominiis, & Regnis: ac ſpecialiter in Regno Franciæ, fuiſſe & eſſe, per ſuã ſententiam, de eorundem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, pronũciauit, & declarauit: prout in Litteris eiuſdem Sixti prædeceſſoris, Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo, quingẽteſimo, octuageſimo quinto, Quinto Id. Septembris, Pontificatus ſui Anno primo, deſuper editis, pleniùs continetur. Quamobrem, cùm his & aliis, in dies, contra fidem Catholicam, ſupercreſcentibus eius culpis, idem Henricus, ac ſucceſſionem dicti Regni Franciæ prorſus inhabilis, & incapax exiſtat, ac propterea Nos, & Catholica Eccleſia, de eo cõfidere amplius non poſſimus: nullã videmus cauſam, cur vos, & præſertim ij Nobiles, qui forte, ſub falſa conuerſionis illius ſpe decepti, eum ſequuti ſunt, vllo modo ei poſthac confidere poſsitis, vel debeatis. Quis enim poteſt ei cõfidere, qui fidem, quam promiſerat, abnegauit? Quæ enim participatio iuſtitiæ, cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci, ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti, ad Belial? Aut quæ pars fideli, cum infideli? Nolite itaque vnius hominis cauſâ, à vera pietate & nobilitate tãtopere degenerantis, vos, veſtráque omnia, in extremum diſcrimẽ adducere. Satis illi operæ, & obſequij præſtitiſtis, ſatis ſupérque laborum, & periculorum, vt ei morem gereretis, ſubiiſtis. Nunc vos Sancta Mater Eccleſia, fidéſq; Catholica, nunc Patriæ charitas, nunc bonorum omnium conſenſus, vos retrahit,

& in

& in ſummo periculo, validum pietatis ac virtutis veſtræ auxilium expoſcit. Et ſi qui, vt diximus, illũ Ducem, eo animo ſequuti ſunt, quòd ſperarint, poſſe eũ à prauis opinionibus abduci, & ad Catholicæ fidei veritatem redire, cùm hæc ipſa ſpes prorſus euanuerit, & huic excuſationi, nullus amplius relictus ſit locus; tempus eſt, mutato in melius conſilio, pernicioſas ſocietates & coniunctiones dirimendi, ſibíq; & aliis, in poſterum rectè conſulendi. Etenim qui, primo quoque tempore, id non fecerint, nec apud Deum, nec apud homines excuſare ſe poterunt: & non parua honoris, & famæ iactura, nunc & in futurum, per omne æuum, ſubeunda erit. Non latet vos, Franciæ Regnum, ſuperioribus ſæculis, iamdiu floruiſſe, ac firma pace & quiete potitum eſſe, quandiu piis Regibus paruit. Nunc, vt bona hæc reparentur, bono & pio Rege opus eſt, quia vbi Deus rectè colitur, aduerſitas nõ habebit effectum. Paternus erga vos animus noſter, vel ex eo maximè patebit, quòd cùm in contumaces aliquid ſeuerius, ſecundum ſacrarum legum normam, ſtatuendum videretur: Spiritu tamen lenitatis, & manſuetudinis, ex quadam amoris & charitatis abũdantia, vti maluimus; ſperantes vos viciſſim, expectationi ac deſiderio noſtro cumulatè reſponſuros; ac reipſa declaraturos, non minus pietate, ac Sedis Apoſtolicæ reuerentia, quàm generis claritate, ſimiles vos eſſe velle maioribus veſtris, qui Chriſtianis quondã virtutibus conſpicui, ac verè Nobiles, hanc ſui nomi-

nis memoriam, tanquam opulentam, præclarámque hæreditatem, vobis reliquerunt, & si nunc viuerent, id ipsum, quod à vobis petimus, summis precibus; à vobis contenderent, & impetrare conarẽtur. Proinde, si hac in re ita vos gesseritis, sicut pios & obediẽtes Ecclesiæ filios decet, persuasum ac certum vobis esse volumus, nos, omni tempore, personæ, dignitatis, status, commodorúmque & desideriorum vestrorum, quantùm cum Domino licebit, eximiam esse rationẽ habituros, nullúmque vel amantissimi Patris, vel vigilantis Pastoris, erga vos, totúmq; Regnum, inclytámq; Nationem vestram, officium prætermissuros. Verum si aliter, ac cupimus & suademus, de vobis euenire contingat, Paternáque vox & hortatio hæc nostra, prompto animo, non admittatur: considerate, quæsumus, nobis etiam inuitis, ex officij & conscientiæ nostræ debito, ne patientia & lenitas vertatur in culpam, extremam impositum iri necessitatem, ingrauescenti huic morbo acriora adhibẽdi remedia, & loco Paternæ benignitatis, qua hactenus Sedes Apostolica vsa est, seueri Iudicis personam induẽdi. Sed absit, vt hoc de vobis suspicemur, abhorret animus, & præ dolore, commouentur viscera nostra. Expectare igitur & sperare malumus, recti saníque consilij effectum optatum & salutarem: Deum omnipotẽtem orãtes, vt ad id, corda vestra, sancti sui Spiritus gratia, illuminet & accendat. Cæterùm vt, quantæ nobis curæ sit Regni istius salus & conseruatio, modis

omnibus, ostendamus, mittere propediem istuc decreuimus militares copias Helueticæ nationis, vnà cum equitatu non modico, quibus præficere in animo habemus vnũ ex consanguineis nostris intimis, & charis, cui plenè confidere, ac sensus vestros, sine vlla dubitatione, aperire possitis, quique Adiutor & Protector sit omnibus Dei, & sanctæ Religionis causam defendentibus, & bonum publicum procurantibus. Nunc vero mittimus dilectum filium Magistrum Marsilium Lãdrianum, vtriusque Signaturæ nostræ Referendarium, virum claritate generis, ac fide, industriáque singulari præditum, vt istic nostri, & Apostolicæ Sedis Nuntij munere fungatur, vobísq; cõsilio, & opera, vbicumque opportuerit, præstò sit, cui, mandata nostra publicè vel priuatim referenti, fidem plenam habebitis. Quia verò difficile foret, præsentes Litteras singulis vestrum præsentari, & ad singula loca deferri, ad quæ oportet: volumus, vt earum trãsumptis, etiã impressis, manu publici Notarij, & sigillo personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, obsignatis, eadem prorsus fides, vbique gentiũ & locorum, in iudicio, & extra illud, adhibeatur, quæ eisdem Originalibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostẽsæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ hortationis, rogationis, obsecrationis, obtestationis, monitionis, ac voluntatis, infringere, vel ei, ausu temerario, cõtraire. Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipo-

tentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. DATVM *Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo. Kal. Martij, Pontificatus noſtri Anno primo.*

Signat. *L. Dat.*

M. Veſtrius Barbianus.

Super plicam. *A. de Alexiis.*

Et à tergo. *Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.* Firmata bulla plumbea ſub cordula canapis.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Notum ſit Vniuerſis & ſingulis, quos præſentes Litteræ quomodolibet concernunt, tangunt, aut tangere poſſunt: ſeu quorum intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet infuturum: Quod Anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, milleſimo, quingẽteſimo, nonageſimo primo, Indictione quarta, menſis vero Iunij die tertia, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto patris, & Domini noſtri, Domini Gregorij, diuina prouidentia, Papæ decimiquarti anno primo. Nos, Ioannes Doulceur, Adrianus Thinot, & Stephanus Cordonnier, Clerici Pariſienſes & Sueſſionenſis reſpectiuè dioceſeôn, publici auctoritate Apoſtolica, curiæque Epiſcopalis Pariſienſis, Notarij iurati, & in Regiſtris Epiſcopatus & Præfecturæ Pariſienſis, iuxta Regium Edictum, deſcripti & immatriculati, Pariſiis in Clauſtro Eccleſiæ Pariſienſis, & vico Nucum commorantes: pro Bullæ, ſeu originalium Litterarum Apoſtolicarum hortationis, rogationis, obſecrationis, obteſtationis, monitionis, & voluntatis,

ſub plumbo pendente, ad Principes, Nobiles, & alias quaſcũq; perſonas laicas Regni Franciæ, Henricum Borbonium quondam Nauarræ Regem ſequentes, De data Romæ, apud Sanctũ Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo, Kal. Martij, Pontificatus eiuſdem Anno primo, executione facienda: vnà cum teſtibus infraſcriptis, perſonaliter acceſſimus ad Cathedralem Eccleſiam ciuitatis Pariſienſis, in qua tunc Clerus & populus, ad diuina officia celebrãda & audienda, cõuenerant: Et poſt preces, in ea per nos, Deo effuſas, conſtitimus in pulpito eiuſdem Eccleſiæ, & ibi in magna cleri & populi prædictorum frequentia, ſtantes, prædictam Bullam, ſeu Litteras originales requiſitionis, monitionis, mandatorum, præfixionis, aſſignationis, decretorum, declarationis & voluntatis huiuſmodi, & alias vt ſe habent, ad litterã, & de verbo ad verbum, clara, alta & intelligibili voce, organo præfati Doulceur alterius Notariorum ſupranominatorum, legimus, expoſuimus, euulgauimus, & publicauimus. Ac deinde eandem Bullam, ſeu Litteras originales, in valuis eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis, affiximus: & in eis illas, per aliquod temporis ſpatium, affixas, omnibus & ſingulis volentibus videndas, inſpiciendas & legendas dimiſimus, ipſaſque omnibus & ſingulis Illuſtriſſimis Dominis, ac Illuſtribus & Spectabilibus viris Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Proceribus, Baronibus & Nobilibus Regni Franciæ, Henrici Borbonij quondam Nauarræ Regis partes ſequentibus: necnon Prouinciarum, Ciuitatum, oppidorũ, & locorum, ſub eiuſdẽ Hẽrici dominatu exiſtẽtiũ, Cõmunitatibus, Vniuerſitatibus & Populis, ac Ciuibus & incolis quibuſcũque, in eiſdẽ litteris generaliter, aut aliâs quomodolibet nominatis, ſeu expreſſis, iuxta earundẽ litterarum formam, ſeriem, & tenorem, & omni alio meliori modo & forma, quibus fieri potuit & debuit, ac fieri poteſt & debet, etiam veluti per publicum Edictum, inſinuauimus, notificauimus, & publicauimus. Et tandem poſt competens temporis ſpatium, ſeu interuallum, has eaſdem originales Litteras exinde refiximus, & detraximus, ac ad nos recepimus, & earũ exemplum fideliter tranſcriptum, quod cum ipſis originalibus Litteris, per nos fideliter auſcultatum & collationatum, in omnibus & per omnia concordat, in eiſdem valuis prædictæ Cathedralis Eccleſiæ affiximus, & affixum reliquimus: vt illæ ad dictorum Illuſtriſſimorum Dominorum, ac Illuſtrium & Spe-

ctabilium virorum, Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Procerum, Baronum, aliorúmque Nobilium dicti Regni Franciæ. Necnon Communitatum, Vniuerſitatum, Populorũ, Ciuium & incolarum quorumcumque, ſub eiuſdem Henrici dominatu exiſtentium prædictorum, in eiſdem Litteris ſpecialiter, vel generaliter nominatorum, ſeu expreſſorum notitiam & ſcientiam perueniant, ſeu peruenire poſſint, ac aliâs fecimus & executi ſumus, prout in eiſdem Litteris continetur, & fieri mandatur. Acta ſunt hæc in Ciuitate Pariſienſi, & Cathedrali Eccleſia prædicta, & ante eius fores, & in loco ſupraſcripto: Sub Anno, Indictione, die, menſe, & Pontificatu, quibus ſupra. Præſentibus ibidem honorabilibus viris, magiſtris Oliuario Minagier, Franciſco le Maçon, in ſupremo Senatu Pariſienſi Patronis, & Claudio le Boſſu Coronæ Franciæ Secretario. Necnon præſentibus etiam Nobilibus, & egregiis viris, Franciſco de Verton, Comite de Belin, Gubernatore præfatæ vrbis, Pariſienſis: Carolo Boucher, Præfecto eiuſdē vrbis: Martino l'Anglois, Scabino: Stephano de Nully, Curiæ ſubſidiorum Senatus Pariſienſis Præſide: Dionyſio de Here; & Michaële de Marillac, in dicto Senatu Pariſienſi Conciliariis: Matthia de la Bruyere Locumtenente Ciuili Pariſienſi: Ioanne Luillier Cameræ Computorum Pariſienſis Magiſtro: Claudio Daubray vrbis Pariſienſis Conſiliario: Philippo Cothereau: Ioanne Ioſſet, & aliis quam plurimis perſonis etiam ibidem congregatis & adunatis, in numero copioſo.

Quia nos Ioannes Doulceur, Adrianus Thinot, & Stephanus Cordonnier, publici auctoritate Apoſtolica Notarij, de præmiſſis omnibus vnà cũ ſupradictis teſtibus rogati fuimus: ideò in eorum fidem huiuſmodi inſtrumentum, ſcripſimus, ſubſcripſimus & publicauimus, & ſigna noſtra appoſuimus requiſiti.

DOVLCEVR. THINOT. CORDONNIER.

BVLLE D'ADMONITION, DECLARATION, &c.

DE N. S. PERE LE PAPE GREGOIRE XIIII.

CONTRE

Toutes perſonnes Eccleſiaſtiques du Royaume de France, qui ſuyuent le party de Henry de Bourbon, iadis Roy de Nauarre, le fauoriſent, &c.

GREGOIRE Eueſque ſeruiteur des ſeruiteurs de Dieu. A tous & chacuns noz Venerables freres les Archeueſques, Eueſques, & noz fils bien-aymez les Abbez, Prieurs & autres Prelats des Egliſes, tant ſeculiers que reguliers, Chapitres, Colleges, Conuents, & perſonnes Eccleſiaſtiques quelconques, cõſtituees & eſtablies par tout le Royaume de France, Salut & benediction Apoſtolique. Eſtant appellez par la diuine diſpoſition, (bien que ne ſoyons dignes d'vn lieu & charge ſi eminẽte) pour preſider à la Chaire du tres-heureux Prince des Apoſtres S. Pierre, ſur laquelle Noſtre Seigneur & Redempteur Ieſus Chriſt à fondé ſon Egliſe, ayant eſtably & conſtitué Paſteur de ſon troupeau le meſme S. Pierre & ſes ſucceſſeurs: pour la ſolicitude qu'il nous eſt enioint auoir de toutes les

Egliſes, nous deſirons, & taſchons auec la meſme ayde de Noſtre Seigneur, de rendre & exhiber à toutes nations & peuples, le ſoing & vigilance Paſtorale que nous deuons. Et partant comme ainſi ſoit, qu'entre les plus grãds maux que ſouffre la Republique Chreſtienne, & dont nous ſommes preſſez de toutes parts, rien ne nous ayt ſi viuement touché en l'ame, ny apporté ſi grande faſcherie & ſoucy, que le long deſordre & confuſion de toutes choſes, la treſgrande & inueteree calamité de ce Royaume de France tres-excellent membre de l'Egliſe, & vniquemẽt aymé de nous & du S. Siege Apoſtolique, pour ſes grands & ſignalez bien-faits & merites enuers iceluy: leſquels troubles & deſordres ſe ſont attachez non ſeulement aux Citez, villes, villages & autres choſes terriennes, mais encore aux biens ſpirituels & celeſtes, à ſçauoir à la Religion & vray culte de Dieu, & au ſalut des ames, & ſont pour cauſer de treſgrãdes & mortelles ruines, à l'inſtigatiõ de l'ennemy du gẽre humain, ſi les Eſtats du Royaume, & ceux notamment, qui ont la ſuperintendẽce & la garde du troupeau du Seigneur, par vne bonne concorde, ny apportent vne prompte & vertueuſe reſiſtence. Pour ceſte cauſe, comme nous compatiſſons d'vne commiſeration Paternelle, tant à voſtre afflictiõ, qu'à celle de tout le Royaume, & ne voulons omettre aucun deuoir de vraye pieté en voſtre endroit; auſſi de voſtre part, deuez vous recognoiſtre que ceſt icy le temps de voſtre probation, & vous preparer & munir d'vne conſtance de courage immuable, contre les aſſaults de ceux qui vous oppugnent, & vous fortifier des armes celeſtes, vous ſouuenant, que tant plus grande eſt l'aduerſité & tribulatiõ qui nous vient aſſaillir, tant plus deuons nous inſiſter à frequẽtes prieres,

tes prieres, ieunes, predications, exhortations, admonitions, & autres œuures pies & aggreables à Dieu : à ce que par le moyen d'icelles, nous nous rendions sa diuine bonté propice, & que ceux qui resistent à la verité Catholique, & publique trãquillité, esmeuz de telles actions, cessent finalement, & moyennant la grace de Dieu se retirent de leur accoustumee malice; abandonnant les impies & detestables voyes, que iusques à present ils ont suiuy. Or combien à d'efficace pour appaiser l'ire de Dieu, la bõne & saincte vie des Ecclesiastiques, comme aussi les deuotes & cõtinuelles prieres qu'on faict à sa diuine Majesté, les Escritures sainctes en rendent bon tesmoignage en plusieurs endroits. Et à la verité ce sont les premieres & plus puissantes armes, qu'ayent les fideles seruiteurs de Dieu, ausquelles toutesfois il conuient par apres ioindre les autres de l'auctorité & de la puissance donnee de sa part, lors qu'il en est besoing. Mais c'est chose deplorable, & certes griefuement deplorable, que quelques-vns de vostre ordre se sont tellement oubliez de leur deuoir, qu'ils n'ont osé resister à ces aduersaires de l'Eglise Catholique & perturbateurs du repos public, non pas seulement de parole, comme chiens muets qui ne peuuent abboyer; mais qui plus est les ont, à ce qu'on dict, assistez & fauorisez, à leur grande honte & infamie, au grand regret de tous les gens de bien, & pareil deshonneur de leur ordre : cõme s'ils pouuoient ou deuoient ignorer ce qui est notoire à tout le monde, touchant le faict de Henry de Bourbon iadis Roy de Nauarre. Lequel ayãt esté dés son enfance infecté d'heresies par sa mere, perseuera assez long-temps en icelles, & comme il fust paruenu à vn aage plus meur, & peust discerner le mal d'auec

